VINCENTII PELLECCHIA

MUSA SILVESTRIS


IN SOLEMNIA

P. VERGILII MARONIS

NEAPOLI ACTA

Anno VIII a fas. cond.

PRO FASCE JUVENILI CERTANTE





SALERNI AN. MCMXXXI
TYPIS R. BERAGLIA

VINCENTII PELLECCHIA

MUSA SILVESTRIS

IN SOLEMNIA

P. VERGILII MARONIS

NEAPOLI ACTA

Anno VIII a fas. cond.





SALERNI AN. MCMXXXI
TYPIS R. BERAGLIA

Tibi

BENITE MUSSOLINI

Dux Summe Fascium Italorum

Qui sacros manes

Vatis Maximi Romanorum

Sepulcro elicuisti

CANTUS I

Quartus adest ante octobres iam lucifer idus,
Cum rubet apricis matura in collibus uva,
Agricolumque magis fervet labor undique campis,
Mane Dicarchaei ascendo declivia collis;
Quo via Parthenopen ridentem ducit ad urbem,
Quove freti cupidos prospectus pascit ocellos,
Cum spendet tremulo solis sub lumine pontus,
Et cycnis similes ludunt super aequora cymbae.
Inter fraxineam silvam et nemus ilice densum
Incedens, venio ad Vatis venerabile bustum,
Oblitumque diu et modo cernitur arte refectum
Ornatumque sacris lauris et divite fastu,
Fascibus innexis virgeis dominante securi.
Solemni hic ritu celebrantur sacra Maroni,
Qui cecinit sobolis divina exordia nostrae,
Imperiumque potens Romae, quod terminet astris.
Ecce super tumulum imponunt altaria cives
Campani et stipant donis ingentibus aram.
Parthenopes adsunt proceres puerique puellae,
Ausoniae ritu gaudens formosa iuventus;
Ingens stat populus sacro terrore retentus;
Inferiasque ferunt omnes decorantque sepulcrum.
Adstat Romanus Duce missus rite minister,
Vittis et viridi redimitus tempora lauro,
Qui sacra praeconi faciat solemnia gentis,
Fatidicique canat populo praesagia Vatis.

Sacrificus flamen iam mactat lacte iuvencam,
Nuper depulsam et manes ciet ore sepulcro.
En strepitus levis alarum mihi fertur ad aures,
Ut magnos manes iam Vatis adesse putemus.
Tunc me spectantem vehemens insania ludit,
Inspiratque bonus mihi Phoebus amabile carmen.

*
* *

O divine, veni, Vates, iam surgere tempus,
Elysios age paulisper nunc desine campos,
Agmen doctorum venerandum linque piorum,
Dexter ades nobis, Itali tua numina poscunt.
Umbra beata, veni, paulo maiora canamus.
Nos patriam canimus, patria sint carmina digna.
Aspice iam venit Cumaei carminis aetas
Aurea, quam quondam cecinisti doctus avena.
Italiam nova fata vocant ad sidera divam,
Italiam magnam tua quam mens praescia finxit.
Iam Vir fortis adest caelo demissus ab alto,
Corpore praestanti, pietate insignis et armis,
Dux Anchisiades alter, quem fata tulerunt.
Impavidus, constans, patriis et honoribus auctus,
Nunc regit imperio et docto moderamine regnum.
Magnus ab integro iam rerum nascitur ordo;
« Aspera nunc positis mitescunt saecula bellis .»
Ecce redit Virgo, redeunt Saturnia regna,
Fulgidiusque nitet radians pia Stella Sabauda.
Tellus magna parens frugum, materque virorum,
Hesperidum facta est velut hortus et hospita Tempe.
Inter Tyrrenum et Superum mare consita cum sit,
Quin regina maris nostri de iure vocari
Possit quis dubitet? Labor hic et meta futura,
Ne vanum nomen sit quod dixere priores.
Plurima succrescit valida atque animosa iuventus,

Audax cuncta pati, docilis patiensque laboris,
Assidue exercet certamina dura palaestrae.
Romanos cernes dominos gentemque togatam,
Intentos omnes operi et supera alta petentes.
Felix umbra, veni, festina, absiste morari.
Huc ades, alma, fave Ausoniis hoc tempore sacro.
Macte veni tandem et loca tam tua grata revise.
Mantua, dives agris, optat te cernere natum,
Mantua, cui matris nomen dedit inclitus Ocnus.
Mincius ipse pater velatus arundine ripas,
Cum veniunt potum pasti per prata iuvenci,
Cumque ardet sol et resonant arbusta cicadis,
Densaque per cultos volitant examina campos,
Flagitat indigenam rauco cum murmure vatem.
Dulcis Parthenope, pulcherrima Neptunine,
Quam tu iucundo devinctus amore colebas,
Et iove sub puro fingebas carmina, cogens
« Ut quamvis avido parerent arva colono ;»
Cui moriens teneras liquisti corde camoenas,
Te vocat ad cantum cum splendet candida luna
Per sudum coeli placidique per aequora ponti,
Et resonant fluctus mordentes litora motu.
Roma, potens rerum, quae splendet gloria avorum,
De qua vaticinans cantabas ore rotundo:
« Imperium terris, animos aequabit Olympo »;
Qua Rex pacificus regnat virtute decorus;
Qua iuvenis Princeps, forma et fulgentibus armis
Egregius, magnos molitur mente triumphos;
Qua tu, Maecenas, excultas provehis artes;
Cum nigra magna cohors scandit Capitolia sacra
Et Dux magnificus rigidam de more recenses;
Velocesque aquilae cum tranant aethera celsum,
Et iactis telis se se inter nubila condunt;

Te ciet insignem meditari carmina plectro,
Ut portenta canas lictoria gestaque magna;
Et Marconis ope haec referat vox missa per orbem:
Inclita Roma viget, magnis adsueta triumphis,
Et regit imperio populos et foedera pacis
Imponit victis operosae et iura laborum;
Quos natura dedit fines armata tuetur.
Salve, magne parens musarum et gloria vatum,
Ausoniae semper carum et venerabile numen.
Nunc iuvet omnis amor, studium vigil, anxia cura,
Queis avide arripui tua docta volumina, multum
Nocturna versata manu, versata diurna.
Parce meis ausis, placeat te ludere mecum
Carmine per silvas, rura altaque moenia Romae,
Spectare ut liceat mira omnia fascibus acta.
Sis precor, alme, viae mihi dux doctusque magister.

CANTUS II

Per rus Andinum nunc fingimus ire vagantes,
Et petere annosas silvas et sistere in umbris,
Quas praebet late protendens brachia quercus.
O quanta has silvas tenet et nemus alta voluptas!
Ecce vagae veniunt distentae lacte capellae,
Custodes gregis et tremulis cum vocibus haedi.
Pastores, hedera praesentem ornate poetam,
« Spargite humum foliis, inducite fontibus umbris.»
Nymphae, quae colitis silvas et fluminis undas,
Ferte rosas calathis et candida lilia plenis,
Pallentes violas, flores beneolentis anethi.
Insanire libet mihi capto Vatis amore,
Silvestrem et tenui modulamur arundine musam,
Quae si nasutis placeat, cingite frontem
Baccare, Pegasides, ne laedat lingua Catonum!
Tytirus ecce bonus, qui laeta ad pascua ducit
Luctantes haedos baculo simasque capellas.
Ille sedens patulae sub denso tegmine fagi,
Dum caprae passim cytisum per gramina tondent,
« Formosam docet has resonare Amarillida silvas. »
Tytire, dic, quaeso, haec tibi laeta quis otia fecit?
Incipe, si quid habes, quod sit memorabile nobis.
Tunc grege composito pastor sic concinit ore:
« Post bellum ingens, horrendum, implacabile, dirum,
Itala quod pubes patriis pro finibus egit;
Postquam sunt matres natis, nuptaeque maritis

Orbatae et multo perfusa est sanguine terra;
Postquam Roma caput solemnia festa triumphi
Duxerat, ecce ardens febris Lenina perurit
Insanae plebis diris fervoribus artus.
Seditio exoritur saevitque ignobile vulgus,
Agri vastantur, segetes aedesque tabernas;
Italicum signum, quod circum florida pubes
Decertans cecidit, deiectum in pulvere sordet.
Ipse redux bello miles, iam vulnere laesus,
Derisus transit spretusque a plebe furenti.
Et quo producit caecas discordia mentes?
Cur cives, cur tanta animis adsuescite bella?
Cur patriae vestras in viscera vertite vires?
Plebeius quidam telis armatus et ense
Ingrediens agrum, quem laetum cernit aristis,
« Haec mea sunt — inquit — mox hinc migrate coloni ».
Dum miseri, tristes, moti terrore minarum,
Nos armenta, lares et dulcia linquimus arva,
Ecce statim delecta manus iuvenum emicat ardens,
Pectora vota neci, fasce et metuenda securi,
Quae cohibet vim vi, prorumpens ocior euro
Illuc, quo cernit saevos agitare tumultus
Clamosam plebem, cui tum furor arma ministrat.
Iam multi pereunt fraterna caede necati,
Et lugent iterum matres natique sorores.
Ast haec parva cohors dispergit strenua turmas,
Coetus dissolvit concionantesque tribunos
Deponit, coniuratosque in vincula ducit.
Sic domito vulgo tumida ex ira corda residunt.
Imperat armato Dux invictoque maniplo,
Relliquiae belli, qui fati iussa capessens,
Tendit iter Romam, quam tarda morosa senectus
Imperio laxo et nulla ditione regebat.

Haud mora castra locat minitans indicere bellum,
Ni proceres tradant subito moderamina regni
Et sacram liquant Urbem sedemque Quirini.
Territa canities recipit se et deserit Urbem,
Ingreditur victor summa rerumque potitur.
Obvius ille petit stridenti aquilone procellae
Compescitque statim lege et moderamine duro.
Sed coniurati pulsi de sede Catones,
Fascibus adversi tradunt scelerata latronis
Arma manu, ut bis vitam illi per vulnera demat.
Incassum! Facinus Deus hoc avertit iniquum,
Quin conditoris nova magna incepta secundat,
Surgat ut imperium Italicum sine fine per aevum.
Civica seditio et delira licentia vulgi
Considunt: pax alma redit, redeunte quiete,
Assiduae res incipiunt operumque labores,
Relligio Christi gaudet renovare triumphos.
Pastores Romam desertis ruribus imus,
Ut tam praesentem liceat cognoscere divum.
Cernimus hic dominum, cui ture altaria fumant,
Quemque Ducem dicunt, timidisque rogantibus — ille
— « Quid faciant miseri » — respondit talia durus:
« Pascite, pastores, pecus et colite arva, coloni,
Lictor adest custos patriae et vim viribus arcet.
Indulgete operi, cives, labor adiuvat omnes,
Namque altrices auget opes, dat dulce levamen .»
Ille pater patriae, columen rectorque, magister,
Omnia servavit vitamque domumque et agellum;
Iura dedit populo, mores legesque laboris,
Ille deus nobis tranquilla haec otia fecit.»
Hic cessit cantus. Variis agitata figuris
Umbra memor Vatis, repetit civilia bella,
Quae quondam Romae caedes et damna tulerunt.

Illa videt ruri se duro a milite pulsam,
Maecenas subeunt animo et dux Pollio grato,
Augustum cernit claudentem limina Iani,
Exsultare omnes optata pace Quirites;
Vomera tum splendere solo longosque ligones,
Et pinguem campum molli flavescere arista;
Tum varias artes meditando extundere cives,
Ingeniumque hominis sublime ad sidera ferri.
Haec Vates volvens animo mihi sponte videtur
Laetitiam ob magnam fulgore nitescere vultu,
Roscida ut apparet distincta coloribus iris.
Italiam inde videns ditem florente iuventa,
Quae terrisque mari dominatur et aethere summo,
Imperium magnum iam praevidet esse futuram.

CANTUS III

Tytirus ut tacuit, venit ecce ab rupe sinistra
Argutus sonitus demulcens mollius aures.
Tunc nos mirati adverso succedimus antro,
Quod spargit raris totum labrusca racemis.
Invenimus Mopsum puerum hic iuvenemque Menalcam,
Dicere qui versus calamosque inflare periti,
Ambo iure boni Phoebum superare canendo.
Dicite, pastores, quoniam mecum umbra Maronis,
Flebilius carmen, quod quondam in cortice fagi
Descriptum legi, concordes dicite, sultis.
Coge pecus, puer, atque lupo properante caveto,
Ille repente rapit, quamvis latrante Lycisca.
Incipiuntque melos ambo praeludere triste,
Deinde canunt talem concinna voce querelam;
« Extinctum Armandum crudeli funere Nymphae
Caeruleae flebant, vos testes, litora, colles
Pausilypi et naïs pulcherrima Mergilline,
« Cum complexa sui corpus miserabile nati »
Numina Parthenope crudelia et astra vocabat.
Componunt feretrum ducis aequoreaeque puellae,
Nereides pulcrae, nigrato corpore centum,
Nerine ante alias gremio fert balsama rara
Cunctaque membra lavat cura frigentis et ungit.
Purpureos aliae quot flores educat hortus
Sponte legunt, vario texuntque colore coronas.
Victrices iungunt lauros hederasque perennes,

Et ramos myrti et frondes vivacis olivae.
Instaurantque choros Euplea, Aenaria, Nesis,
Et Capreae, Baiae, Baulisque Megaria neptis,
Pausilypum, Prochyte dextrisque in litore iunctis,
Circundant feretrum et concordes carmina dicunt,
Quae Proteus finxit cum funera fleret Achillis.
Supremamque addunt laudem hanc in fine canendi:
O decus Ausoniae, immortalis gloria gentis,
Dux Armande Diaz, quem olim victoria fecit
Immanis belli dignum super aethera ferri.
Heu quanto Italiae miscentur moenia luctu,
Interitusque tuus complevit questibus urbes!
Tu natus patriae carus, spes unica pacis,
Tu clipeus certus nobis columenque salutis.
Heu quod te rapuit durum implacabile numen?
Iam rauca hoc fatum praedixit ab ilice cornix.
Quocumque aspicimus nihil est nisi lugubre funus!
Militis ore sedet dolor atque in lumine fletus;
Non pecus opilio ad florentia pascua ducit;
Nautica non verrit pubes maris aequora tonsis,
Nec circum scopulos errat gens humida ponti
Et plorant maesti nunc circum litora mergi.
Ille deus nobis erit utque deum usque colemus.
Floribus et lauris ornatam hic ponimus aram,
In qua illi dabimus solemnes turis honores,
Ut meminisse iuvet data, quondam munera nobis.
Dedecus ipse quidem abstulit ore probrumque nefandum,
Austriaco bello parta et quae gesta ruebant
Per iuga perque amnes, praeruptaque saxa, virorum.
Nam vindex rigidus, summus dux ille creatus
Nobis imperio et pugnando restituit rem.
Protinus incessit media fugitante caterva,
Detinuitque fugam errantesque in castra reduxit;

Incendit dictis animos revocatque vigorem,
Instauratque acies, quas contra audentius urget,
Ut videt in patrios fines equitare superbos
Ille hostes; prohibet, pellitque fugatque retundit.
Ardentes Itali pugnarunt more leonum
Ad Plavim hostilesque acies fregêre potentes,
Quae iuga turbatae scandebant aspera rursum,
E quibus audaces ausae descendere quondam.
Sic patria est salva et fit servitute redempta,
Atque giganteos potuit celebrare triumphos.
Nunc inter patriosque deos manesque piorum
Armandus splendet, velut inter luna minores
Ignes ; sub pedibus videt ire per aethera nubes,
Et patrias alas caelestes scandere sedes,
Et convexa poli sonitu trepidare volatus,
Dum recinunt per inane rotantia sidera paean.
Scriptores rerum, memorate haec grandia gesta,
Illius et facite ut maneat per saecula nomen. »
Conticuit tandem silvestris fistula et umbram
Vatis gaudentem vidi virtute nepotum,
Quorum magnanimos superavit gloria patres.
Egredimur silvis et linquimus oppida Mantus,
Ut lustremus agros, quos fasce favente coloni
Triticeam in messem coluerunt iussa secuti,
Frugesque ob magnas retulerunt praemia digna.

FINIS

PREZZO L. 5,00